

160.

1702, 2.

19⁵ S

DISSE^TRATI^O INAUGURALIS
JURIDICA
DE
SCANDALO,
quam
auxiliante deo
RECTORE ACADEMIÆ MAGNI-
FICIENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIP^E JUVENTUTIS
DOMINO

WILHELMO HENRICO,

SAX. JUL. CLIV. MONT. ANGR. ET WESTPH.
D U C E:

sub PRÆSIDI^O

ADRIANI BEIERI, D.

PANDECTAR. PP. CURIÆ PROVINC. FACULT. JURID.
ET SCABIN. ASSESSORIS, HODIE
DECANI,

PRO LICENTIA

Supremos in Jure honores & Privilegia assumendi,
ad diem 30. Decembris anni excentis 1702, horis ante- & pomeridianis,
publicè ventilandam proponit

HIERONYMUS Gehrmann/
Gustravio-Meklenburgicus.

f E N Æ,
LITERIS WERTHERIANIS.

8.

D E O
S C A N D A L O
P A T R I Ä
R E C T O R E A C A D M I E M A G N I .
E T
P A T R O N I S

A D R I A N I B E I E R I . D.

H A N C D I S S E R T A T I O N E M I N A U G U R A L E M

dat dicunt dedicat

A U T O R .

T I F F R I E W E R T H M A N N I S



PROEMIUM.

Tnter cœtera civitatis benè ordinatae indicia
 & requisita referuntur non ædificia mo-
 dò splendide exstructa ; verum plateæ
 benè ordinate ac dispositæ ; ut item iti-
 nera & viæ sint mundæ, lithostratus pla-
 nus, ac liber nec impeditus ubique pa-
 teat transitus. Ad curam igitur Ædilium pertinet, sta-
 tuere, perque suos Ministros cavere, Ne quid in via pu-
 blica positum sit vel projectum, vel promineat etiam
 quod prætereuntibus lapsum possit causari. Studeant
 autem, (desumpta sunt verba ex libro singulari Papiniani,
 de Officio Ædilium;) ut ante officinas nihil projectum
 sit, vel propositum; præterquam, si Fullo vestimenta-
 siccet, aut Faber currüs exterius ponat: Ponant autem
 & hi, ut non prohibeant vehiculum ire. *l. un. § 4 ff. de
 Via publ.* Tantum abest, ut ex insidiis quid ponant stru-
 antve, quod alteri sit in ruinam : quale quid vulgo vo-
 catur SCANDALUM. Sicut autem non sanitati corpo-
 ris aut vitaे naturali alterius licet insidiari ; Ita nec mo-
 raliter

§ (4.) §

raliter corrumpere alios decet, aut in errorem seducere.
Ex quo igitur in specimini bus coeteris, pro obtainendis
in Jure honoribus supremis Disputatio publica habenda,
placuit Thema hoc de Scandalis, tanquam tuis quotidia-
num, à nemine tamen, quod sciām quidem ego, ex pro-
fesso tractatum. Faxit DEUS, ut feliciter!

CAP. I.

Notitia rei,

§. I.

Scandalum à scandendo dictum putes; dum scandalū
non minū ac descendere, sed numerō atque gradu
videas augeri. Est enim obstaculum, offendiculum, ob-
ex, & quidquid prolapsionis & ruinæ causam afferit: Ger-
manus, ein Anstoß inquit, nimis, physicè; at moraliter,
ein Vergerniß. At enim, vox ea originis est Græcæ, ubi
Σκανδάλον, terminus est economico-mechanicus, desi-
gnans structuram, qua in decipulis, tendiculis, muscipu-
lisque ligna terma ita inter se sunt commissa, ut numeri
quatenarii notam 4 repræsentent, quo sustineant tendi-
cula, in quam ubi animal impingit, subita eam evertit
ruinā, simulatque lignum, præsertim medianum trans-
versumque commovit: Idem quod σκανδάλησαι, lignum
incurvum laqueorum, quibus feræ incidentes detinentur:
item σκάλον structum in itinere impedimentum. In
Latium quidem postea, sed vulgato potissimum S. Biblio-
rum Interpreti in divina occurrit scriptio: atque adeò
superior à scandendo derivatio mera remanet Allusio.

§. II.

Accipitur autem vox ea *dupliciter*: *primò physicè*, ac *generativim* quidem pro quovis corpore solido in quod impingimus; sicuti forsitan absque dolore, certè non citra periculum lapsus, & cum indignatione. Exempli causa Roman. IX. vers. 33. legimus: Ecce, ponam in Sion lapidem offensionis, & petram scandali; Et sic, promihiens quid in strato. Quanquam fortassis in eum finem à priori non semper, nec studiò positum sit; Sed ex inadvertentia, vel casu id contingat: ut Psalmus CVI. vers. 36. Et commissi sunt inter Gentes, & didieerunt opera eorum, & servierunt Sculptilibus eorum: & factum est illis scandalum. Speciatim vero ac mechanicè, pro laqueo quod intercipimus quidpiam, ut Esayal IX. q. In lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus dominibus Israël; in laqueum & ruinam habitantibus Jerusalem. Deinde moraliter, à posteriori & effectivè: Cùm non corpore lèdimur, afficiunt tamen animò, ac seu indignamur, res tam perniciosè positas, ut ruere quis possit: seu actu etiam ipso labimur ac intercipimur: ut Scandalum sit idem atque illex vitiorum, Esca decipi. Sic Iudic. IX. 27. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in civitate sua Ephra: Fornicatusque est omnis Israël in eo, & factum est Gedeoni & omni domui ejus in ruinam. Forsitan, quod sacrà illà supellectile abutetur in illicem; ut sub specie cultūs divini adfuererent suam frequentare domum, suaque adhærere familiae: obtineatque adeò ille per indirectum, quod sponte oblatum recusaverat antea. Commigravit abhinc vox illa ad Scriptores Ecclesiasticos; unde recepta & in Jus Canonicum;

donec invaluit in vim originariæ vocis Latinæ, usu universalis: pro facto quovis mali exempli, quo inducantur alii ad similiter impingendum. Unde varia postmodum præcepta, regulæ atque axiomata fuerunt formata; de quibus inferius, Cap. II. ubi ad rem ipsam pervenerimus.

§. III.

Romanus ubi exaudit hanc vocem, sensu assumet tali, quo ipse exprimat MALA RATIONE fieri: qua formulæ Papinianus in l. 54. in fine pr. ff. Mandati, utitur; dum servos fraudulentis contractibus se dominis auferre commemorat. Propius adhuc Sabinus expressisse, à Scævola refertur: MALO MORE. l. 19. §. 1. ff. de Neg. gest. Idem Ictus Paulus, unde desumptus est ille textus, alibi eadem utitur formulæ, in l. 8. pr. ff. Quod met. caus. Nam & gestum est MALO MORE inquiens. Quin Imperatores eundem servant stylum. Et quidem de Pactis ita rescriptum est ab Imperatore nostro, (inquit Ulpianus in l. 1. §. 12. ff. de Extraordin. cogn.) & divo patre ejus: Litis causâ MALO MORE pecuniam tibi promissam, ipse quoque profiteris. Et, si hoc, utique Bonis moribus in adversum: quâ ipsa ratione Imperatores in l. 15. C. de Procur. Litem te redemisse CONTRA BONOS MORES precibus manifestè professus es; Cornificio cuidam rescribunt. Nam, quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, CONTRA BONOS MORES fiunt, nec facere nos posse credendum est, sunt verba Papiniani in l. 15. ff. de Condic. Instit. Metum comprobare CONTRA BONOS MORES est, inquit Ulpianus in l. 16. de R. 7. add. Wisen-

Wisenbach, Ex. XLIX. 1b. 5. col. 130. Alio in eundem sensum adscitō vocabulō exprimunt Romani, EX E M P L O, sed tum cum apposito MALO, quod D. Hadrianus rescriptō quodam: Si qua à Judice tam MALO EXEMPL O judicata sunt, in integrum restitue l. 33. ff. de re jud. adjecit; vel simili. Observandum est, ait Callistratus in l. 47. ff. de Judic. ne is Judex detur, quem altera pars petiit: Id enim INIQUI EXEMPLI esse, D. Hadrianus rescripsit. Verba insuper Scti Macedoniani inter alia hæc sunt: Ut scirent, qui PESSIMO EXEMPL O fœnerarent, nullius posse filiisam. bonum nomen expectatā patris morte fieri. l. 1. pr. ff. de Scto Maced. In eundem sensum EXEMPL O PERNITIOSUM est, rescribit Gallienus Imp. in l. 7. C. de Probat. ut ei scripturæ credatur, qua unusquisque sibi adnotatiōne propriā debitorem constituit. EXEMPL O enim PESSIMUM est, argumentatur Pomponius in l. 45. pr. d. leg. 3. fœmininō vocabulō etiam masculos contineri.

§. IV.

Quum igitur acceptio vocis non est eadem, sed di versæ per eandem innuantur res substrata; necessum erit, distinctim easdem describere. In sensu mechanico Scan dum Fabrica est, studiō structa, in quam si impingat quis, cum suomet periculo eam dejicit. Vel etiam: Habitudo operis, negle&tū orta, quorsum ubi incautus quis prætereat, impingere, & illō salvō, cum præcipitio ruere potest. Fac enim, Fabros in exstruenda, an repa randa domo alicuius occupatos, signa vel lapides in pl ateam prolapsos aut dispositos, noctu promiscuè stratos reli-

reliquisse, ut rei ignarus transiens impingat: aut Stratores viarum lapidem quem prominentiorem, ubi nec opus erat, nec metuebatur, ingessisse, nec ceteris complanasse, qui securè prætereuntibus postmodùm sit scandalo. Oportebat hos, strata complanare; Illos, signis præterituros commonere. Quod agunt Tectores, dum pericà ad parietem inclinatà, vel tacendo jacent paulisper declinare; Ne deciduò quo tangantur.

In *sensu morali*, Scandalum, actus etiam in se indifferens est, qui tamen ab aliis in exemplum absolute liciti assumi posset, cum eorundem depravatione; si debiliores forent: aut indignatione, si prudentiores ac bene premuniti. *Quemadmodum Commutatio Confessionarii res in se indifferens, extra casum necessitatis patit scandalum.* Carpzov. *Jprud. Confisi. Lib. III. def. CV.*
n. 16. & per tot.

§. V.

Neque verò scandalum in se quid substantiale est, Delictum ipsummet, aut certa ejus species: Nisi quavis esca, quam seu Auceps pedicā, seu Piscator proponit hāmō, malum quid per se putas; imò alimentum ceteroquin necessarium & salutare; dum non in præsens lateat anguis in herba; aculeus inquam sub esca. Sed Status & habitudo quædam rei principalis, juxtim interveniens, atque aliud operans; dum inescantur utrimque aves atque pisces, & in suam, rebus ita se habentibus, inducunt perniciem: sicut Græcus suò innuit σκανδαλω, figurâ triangulari captiosè constructâ. 4.

Quod autem in rebus naturalibus Corpus ita habens est, ut alios in perniciem inducat; id in moralibus

Actus

Actus est, externā figurā ita non apparens, ut damnosus sit, forsan intentione agentis, nec ad hunc finem cogitatus atque directus: ab aliis tamen isthuc assumptus; nec inidonee forsan. Duo quippe in unoquoque continentur delicto: alterum, quod principaliter intenditur: Lucrum iniquum, Vindicta sui, Læsio proximi: quae non sunt hujus loci: alterum, Incidens: quod Bonis ægritudo infert & excitatur indignatio: Malis illecebra peccandi, aut confirmatio mali; dum putant: Non oportere adeò illicitum esse, dum & alter patret. Et hoc ipsum dicitur Scandalum; Causa moralis, Occasio, Illex, quo alii commoventur; Boni quidem ad indignandum, Mali ad imitandum. Dupliciter enim se habet scandalum: in Statu seu quiete; consideratum ut merum Corpus, structura: & in Actu; ut illecebra, escam proponendo. Evidem scandalum omne affectivum est, sed diverso effectu: penes alios operatur dolorem mali, activè, quem dicebamus modò Indignationem, seu invectivam. Germanus exprimit: *Sich worüber ärgern / Verdruss:* Penes alios irritamentum est atque stimulus mali, passivè: quod Germanicè effertur: *Sich woran ärgern:* ut vel habeat complacentiam, utcunque non agat idem: vel in idem incidat vitium actualiter. Utrinque passio adest quidem, sed in prioribus Displacentiæ, cum resistentia, improbandi: in posterioribus cum succumbentia,

§. VI.

Scandalorum *Artifices*; potissimum Avcupes sunt atque Piscatores, ut *suprà* diximus, & in universum Venatores, dum Lupis atque Vulpibus scanda la struunt in-

B

foveis

foveis ad hoc paratis, Wolffs- und Fuchs- Gruben/
 Quorum priores innoxias quidem infectantur bestias,
 in usum tamen atque victimum hominis: Posterioribus,
 hominem nocivis exonerant ac ferocibus animalibus:
 Quapropter iisdem accensemus Alpinos illos muscipularum fabros ad nos advenas circumforaneos, mit Hå-
 cfele-Miues-Fall/ undiquaque nobis famulantes. Quoti
 verò cunque hominum seu prohibita patrant, seu præ-
 cepta negligunt, seu permissa etiam, aut media certè, sed
 intempestivè aut improvidè peragunt, hi scandala Proxi-
 mo struunt moraliter, suntque *causa moralis* plurium.
 peccatorum, plurimumque interitū: quod tanto dolen-
 dum est magis, quod homo homini lupus! *Subjectum*
 Scandali *recipiens* atque passivum, sunt omnes qui exem-
 plum ejusmodi intuentur coque commoventur: sive cum
 indignatione adversus vitia: quorum tamen haud dubie
 sunt pauciores, rectius edocti, rectius item sentientes, &
 in bono obsfirmati: sive cum seductione, corruptione,
 atque damno: Utrique non sine dolore. Regulariter in-
 cauta Juventus; ex cuius commiseratione Juvenalis Poeta
 ethnicus etiam *Satyrâ XIV.* vers. 44. proclamat:

Maxima debetur Puerō reverentia, si quid
 turpe paras.

§. VII.

Modi quibus scandala struuntur, sunt innumerabi-
 les: Liceat nobis tamen ad tres revocare classes: quarum
Prima eaque nobilissima est eorum, qui *TURPIA* etiam FA-
 CIENT; atque ita quidem, ut in aprico fiat; quemadmo-
 dum Fures manifestos gravius delinquisse oportet, dum
 asperius puniuntur quam nec manifesti. *S. s. J. de Obl.*
que

que ex del. quippe quos Pudor destituit, ut haud veriti fuerint conspectum: Cæteros fama equidem circumferit; Nemo vedit tamen! at hi, scandalo sunt etiam conspicientibus. Sicut autem legi virtutes sunt quatuor: Præcipere. Prohibere. Permittere. Punire. *l. 7. ff. de LL.* Ita proxima Scandalizantium classis eorum est, qui PRÆCEPTA NEGLIGUNT, sive, quod si fieret, Bonum foret, intermittunt. *Amplianus I.*) etiam si sit de juribus eorum quæsitis, & ad eos primariò attineat; qualibus alioquin licitum est Renunciare; nec invitis obtruduntur enim beneficia! Nam, reponimus his: Posse illis competere quidem, sed intuitu aliorum, &, dum interesse alterius concurrit, solis illis agere an cessare haud licet.

Fac, Patrono alicujus Ecclesiæ competere Collationem beneficij vacantis; plànè, si toto cunctetur semestri, verget hoc scandalô tam coetus ipsius, quam vicinorum; Illius, qui sacris destituitur: horum, qui seducuntur ad contemntum divinorum. Cui præcavendo hiatum hunc ex officio supplebit Consistorium: ut videre est apud Carpz. Consist. *Lib. I. Def. XLIX. n. 13.* *Amplianus II.*) Licet actus ille non Juris sit, sed in mero consistat facto, actus autem illi ceteroquin suò modò, ratione Temporis, Numeri &c. sint indifferentes, ut Frequentare templum, Tempus introeundi, exeundi: Ius item sacræ coenæ. Si tamen, qui heri confessus hodie sacrâ usurpus coenâ, compareat cum ceteris in templo; durante tamen adhuc concione exeat ad pagum vicinum, negotia curaturus œconomica, cum neglectu divini operis: Annon commovebit animos omnium, vergetque hoc penes pronos alijs ad malum, dubio procul plures,

§ (12) §
in contemtum sacræ coenæ, & obfirmationem mali pro-
positi: Penes cœteros verò ad indignationem? Id quod
animadvertisendum omnino censuit Consistorium Electo-
rale apud Carpz. d. tr. Lib. II. def. CCLXXVII.

§. IIX.

Tertius scandalizandi modus contingit Faciendo
ipissima etiam PERMISSA: quod difficulter credat
quispiam! Exaudiat ergo: Dum ea non sunt ritè. Si
quid interveniat in Persona agente: Si non fiat suò Lo-
cô: Si intempestivè. Estque adeò scandalum hoc insi-
diosissimum. MATRIMONIUM utique divinum insti-
tutum est, atque ob id omnino in Permissis! Tamen, si
v. gr. Liberi parentibus inconsultis celebrent sponsalia,
mali exempli rem putavit Elector Saxo, triplici coer-
cione domandum: Exheredatione videlicet, Carcere,
atque Emigratione: ne videl. suâ præsentia refringent apud
Incolas rei memoriam. Carpz. Libr. II. d. LXI. n. 15. Si
vidui viduæ secundas nuptias petant præmaturas, non
facile audiendi sunt, vitandi-scandali ergo, quod maxi-
mè tamen declinari evitarique debet. Jd. dict. Libr. II.
d. CLXIII. n. 14. Consobrinorum nuptiæ de jure di-
vino non solum haud improbantur, verum manifestis
exemplis inter Læam atque Rachelem cum Jacobo, Ge-
nes. XXIX. 23. & 29. Amram inter & Jochebed. Exod. VI.
vers. 20. Tobiam juniorem & Saram, Tob. VII. 15. ab ipso
Carpzovio Lib. II. d. LXXXVI. n. 6. allegatis, comproban-
tur: Saxo tamen Elector in tantum aversatur, ut in suis
provinciis neque copulari nec subsistere permittat. Carpz.
d. Lib. II. d. LXXIX. n. 13. apud exteris omnino toleratas.
Tantum

Tantum operatur consuetudo loci! Similis erga
observantiam & mores locorum in veteratos affectio mo-
vit Coelestinum Papam, ut quantumcumque in graduum
computatione, ex decreto Gregorii IX. respectus habeat-
ur ad remotiorem, ut sufficiat Eum solum non esse in
prohibitis; seu, ut sufficiat, gradum licitum vel in alter-
utro inveniri. *c. f. de Consangu. & affin.* Veritus tamen
ex hac novitate scandalum, quando Legatus suus dispen-
saverat, etiamsi sextum alter obtineat gradum, altero in
secundo vel tertio subsistente: dictum capitulum ulti-
mum pro regula solum assumit, eique textum in *c. 3. cod.*
tanquam exceptionem opponit. Sic, ut ubi consuetudo
terra non ferat, nisi utrinque æqualiter distantes, novi-
tas reputetur scandalosa.

§. IX.

Ecquid officii ratione Sacerdoti permisum est ma-
gis, quam celebrare sacra? in tantum, ut Clericus de-
homicidio non accusatus nec denunciatus, sed per seipsum
consilium appetens salutare, post poenitentiam ad caute-
lam injunctam in Sacerdotali possit officio ministrare, ;
maxime religionis accedente favore; cum sit Canonicus
regularis & sine omni scando possit sacerdotale offici-
um celebrare, *c. 13. de Homicid.* Leprosus tamen Rector
Ecclesiae, quia non potest sine scando sanorum ingredi,
abstinere, & Coadjutorem accipere præcipitur. *c. 3. de*
Cleric. agrot. Circa Tempus Missæ celebrandæ
Clerici Romanenses, in ceremonialibus alioquin super-
stitionis, disputant: An peccet mortaliter Sacerdos, si per
parum temporis Missam celebret post meridiem? Apud
B; Del

Del bene *Tr. de Juram. Cap. I. dub. XIII. n. 20. sgg.* Sanè, Omnia tempus habent, & suis transeunt spatiis universa sub cœlo. *Eccles. III. v. 1.* Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo! *Proverb. XXV. 11.* Quare, Tempori serviendum! & Tempus alicui rei præfixum, est de forma ipsius rei, per tx. in *I. 13. §. 4. ff. de Excus. Tut.* & Tempus legis qui non servat, legis formam non observasse dicitur. *I. 4. §. 6. ff. de Off. Pro C.* Arbitrantur tamen, quod non sit illicitum de jure communii, per aliquot horas post metidem celebrare: si scandalum absit. Id quod contingere opinor, si coram peritis fiat, qui statum rei norunt nativum: dum olim utique fuit licitum: quippe qua eadēm horā, sc. nonā, Christus in cruce sacrificium cruentum DEO Patri obtulit. Cū Ignari id in lusum atque abyssum assumere, & sic scandalizari possint.

§. X.

Suò modò & moraliter INTEMPESTIVUM dixeris, quod permissum utique foret, si re adhuc integra dum res in recenti adhuc est memoria, fuisset susceptum. Nunc, ubi penè obliteratum resuscitaveris, majori cum scandalo, quam quod primitus tolerabas, fiat. Quae causa erat, quare Innocentius Papa Gladiatores, Milites & sim. in Hispaniis semel in Ordinibus sacris receptos, porro tolerare, quam cum scandalo removere malebat. *can. I. dist. LI.* Formæ accensemus in Qualitatibus GRA-DUS: Scandalum alterum altero gravius: nominatim Verberibus datum, gravius illo quod solis Verbis: Quod in ipso Templo, quam in loco profano patratum. Cujus exem-

exemplum super Sedilibus ortum patratumque, legas apud Carpz. *Libr. III. Confessor. d. III C. num. 6.* Sic quoque Scandalum toti Ecclesiae datum, parvi haud affundam! Quare merito publica depreciatione expiandum. Id quod præsca Ecclesia strictè observavit. vid. Carpzov. *d. tr. libr. I. d. CLXXXI. num. 13.* ubi Von Gottes Lästerung/ Ehe-Bruch/ Stein-Wurff; quo de plura, infrà in poenis.

§. XI.

Sed nolo in Formalibus esse prolixior; ac pergo ad PROPRIETATES scandalorum; Qualia fluunt ex essentia: suntque PROSTARE in transitu; sic, ut vel impropositus impingas etiam. Quod isthuc pertinet: Non expectanda diu, nec studiose quaerenda, aut longè accersensa esse: Quin Præoccupant viam, Pratendi transeuntibus, atque in occursum solent ponи. Es kommt einem selbst zu Hause wie das Elend in Ließland. Quare id agendum potius, ut providè procedamus admodum, eaque evitemus cautè: propter effectū infaustos: Intercipiunt enim prætereuntes, traduntque ruinæ: aut, si prosperè procedat etiam, ut elabarisi, minimum tamen pavorem atque indignationem excitant. CONTRARIA eorundem sunt: Præterita, consequenter Frustranea fuisse; & sic, ex parte Commeantium, Evitatio: ex parte Ædilium, Prohibitio, Destructio, Vindicatio, Viarum securitas. Prout Ædilem lectos extra domum in via positos confregisse legimus: Hoc, ad factum: Illud ad Jus referimus, quo de Capite sequenti age-

mus,

CAP. II.

CAP. II.

Observata Juridica.

§. I.

Visà reipsà in suo statu ac natura; consequens est, at-
tendere Jura desuper disponentia: quorum alia de-
prehendas Aedili cum Commeantibus; Magistratu in-
quam cum subditis communia: quatenus & ipse vias per-
ambulare necessum habet, & in scandala impingere potest:
Homo est, humani nihil ab se putabit alienum. Ut in
naturalibus, ita in moralibus Scandalis irretiri ac præcipitari
potest: Humanis affectibus Magistratus æquè atque subdi-
ti, tam activis quam passivis est obnoxius; juxta ergo cum
illis CAVERE habet opus, ne seu scandalo ipse sit aliis, seu
in aliorum incidat scandalum. Quò refero, quod Tiraquel-
lus *tr. de Pan. temper. Causa XLVI. n. 2.* ex Thoma, *in se-
cunda secunda, Q. IX. art. 1. inf.* refert, quòd Princeps non
punitur, ubi timerit de scandalo: allegans Glossam super il-
lud *Mattbei XIII. 29.* Sinite crescere urticam, ne forte
eradicetis & triticum. Ubi ex hoc dicit, quod Princeps
propter scandalum non punitur; Nisi forte peccatum,
illius majus esset quam scandalum: Frustrà sanè, si Princeps
à scandalo foret immunis! Alia Magistratum attinent
seorsim, ut talem, Officium illius Aedilium; quod hinc
à priori, est: Præcavere ne scandala fiant: Prohibere pro-
positis Edictis poenalibus: Isthinc à posteriori: Disposita
destruere, attentata vindicare. Quorū Processus: de-
quo *infra Cap. III.*

§. II.

Generale præceptum est: SCANDALA sunt EVITANDA! quod per se patet; quia nociva. Scandalum ab Ecclesia ut removeatur, modis omnibus laborandum. Carpz. d. tr. lib. III. d. CVII. n. 6. Remedia dum præstò sint semper: quæ prudens Magistratus pro arbitrio excoigitabit & applicabit. Ita, cùm Compatroni distinctos præsentabunt Competitores, Episcopus tali casu providebit Ecclesia pro suo arbitrio, propter scandalum evitandum. Cap. Quoniam. 2. de jur. Patron. & aliquando quidem si get magis idoneum, vel qui plura habet vota: Aliquando sorte res dirimi potest. Convenientissimum evitandi scandali remedium putatur ALTERNATIO: apud Carpz. d. tr. Lib. I. d. XLV. n. 10. *Ampliatur I.)* tam activè, quatenus alii scandalo esse non debemus: keine Ärger- nisse geben: quam passivè: Ne jincidamus in cassides alio- rum, sich nicht verleiten lassen/ woran ärgern. *Am- pliatur II.)* ut ipse quoque Ädilis, tanquam Magistratus eodem obligetur præceptò: Cùm nihil magis eidem, ut tali, repugnet, quam Agere suomet officio in adversum. Ulrum tamen ad Principem extendemus? Evidem, est ille suò modò legibus solitus: quod argumentum est apud b: Dn. Struvium, Syntag. civ. Ex. II. lib. II X. & ad eandem in Evolutionibus pag. 17. Quia tamen in sublimi, & conspectu constitutus est omnium, atque

Regis ad exemplum totus componitur orbis:
Studio cavebit tanto majori, ne quid in eo contueantur,
quod invitet ad imitationem mali. Nam quatenus quodam ejusmodi factò Principis leditur subditus, (quod con-
tingit etiam corruptione morum: argumentò servi cor-
rupti)

rupti) eatenus Princeps peccat contra jus naturæ & officium boni Principis, & ad illud omittendum tenetur ex jure naturæ: ut idem b. Autor d. l. tb. g. infert; In tantum, ut nec de plenitudine potestatis possit omittere Citationem Id Ex. IV. tb. 10. med.

§. III.

Ipse PAPA, qui tamen vult esse supra Imperatorem, contestatur in c. 2. de Prescript. Nihil cum scandalō velle se definire: sic tamen, ut nec alter valeat inde quidquam juris concessum sibi existimare. Scandalis autem omnibus obstruere; ac, dum Conquæstores Eleemosynarum variè excederant in commissa sibi Indulgentiarum negotiatione, ut vel stupidiores propè arcana olficerint; isthuius scandalō viam fatigat præcludere in c. 2. de Penit. & remiss.

Matrimonium contrahendum re integrâ impeditur, quàm magnam de cœtero dispensandi potestatem sumat sibi Pontifex, quando subest scandalum evitandum. c. 27. de sponsalib. Imò connivet Papa, si suo de alicui providendo, non pareatur rescripto: scil. si nequeat ei sine scandalō provideri. c. 6. de Præbend. Potestque sic impediri promotio ad Ordines superiores, si subsit scandalum, c. 5. de Tempor. ordin. quia Prælatus impediens potest secreto scire causas prohibendi. Malint E. Candidati esse humiles cum obedientia, quàm superiores in contumacia! Non spestandum, quàm quis sit Magnus, sed quàm bonus.

§. IV.

Quod si debilis aut delicatus in monasterio sit, qui non potest cibare cum cœteris, sic ei provideatur sine scandalō in Refectorio, c. 6. in med. de Stat. Monach. Magna porro circa iurandum attentio servanda a religio. Cùm propter

§ (19) §

pter conscientiam ipsius jurantis; tum propter scandalum proximi. Licet juramentum per se non obliget, nisi secundum mentem *jurantis*: Tamen ratione scandali vel damni securi, obligare potest juxta mentem *exigentis*. Siquidem reverentia DEI etiam obligat ad vitandum scandalum in materia religionis, ut non solum nihil agas quod contra honorem DEI sit revera, sed & quod videatur esse. DEUS etiam accipit alter intelligit: b. Dn. Struv. *S. C. Ex. XVI. t. XIX. med.* per c. 9. *XXII. q. 1.* quia censet, te ad hoc esse obligatum: Non quidem ex vi juramenti, sed aliunde; quia teneris non decipere alterum, atque causam damni & scandali prabere. vid. Delbene *Tr. de Jurament. Cap. II. Dub. III. n. 4. fol. 108.* ubi conciliat *c. Humanae. II. ibid. Sepositō tamen periculō damni & scandali, in foro conscientiae non nascitur obligatio gravis:* Id d. *tr. Cap. I. dub. XVI. n. 6. fol. 70.* qui pergit n. 7. Per accidens obligatur ad implendum: partim ratione scandali, Ne perjurus videatur, & sqq.

§. V.

Fluunt inde diversa Observata, I) Multa CONCEDI, etiam contra jus commune, ad hoc ut evitentur scandala. Carpz. *Decis. CLXXXIII. n. 14. sqq.* Diximus paulum retro, Non posse Principem ex plenitudine potestatis procedere absque Citatione: Patitur hoc limitationem, quod Reus propter scandalum evitandum condemnari potest etiam sine citatione. Carpz. *Jprud. Conf. Lib. III. d. LXVI. n. 10. sq.*

Pariter Judge Partes ad Transigendum cogere haud debet *Nov. CXIX. c. IV.* Si tamen dissensio sit inter personas insignes, ex qua Respublica turbari & scandalum oriri possit, permittendum id esse, Geilius *de Pac. Publ. Lib. II. Cap.*

Cap. XLIX. n. 10. scribit: per tx. in l. 21. §. 1. ff. de Capt. Et postl. Bartolus in l. 13. §. 3. ff. de Usuf. Circa Possessionem Qu. an apud Judicem sub Sequestro retinenda sit, quando aliis inter Partes contendentes futurum esset scandalum? affirmat Decius in l. ult. n. 6. C. d. Ed. D. IIadr. toll. in l. si super possessione. g. n. 6. C. de Transactz. Qui Idem consil. CL censet: Pontificem Max. si tanti sceleris reus sit, ut apud Ecclesiam malè audiat, scandalumque inde oriatur, posse apud Concilium accusari, ne scandalum inde oriatur. Menochius Recup. poss. remed. I. n. 319. sqq. in Qu. Utrum possessio in continentia sit restituenda quando subest scandalum? distinguit: Certum sit, an incertum.

§. VI.

Sequitur hinc ex opposito, quod Cessante scandalō, nec ad accusationem nec suspensionem, longē minus ad remotionem Sacerdotis properari oporteat: Quam moderationem, pro re re nata, Illustris Collegii Juridici hujus Academiae Patres, anno abhinc uno, hoc ipso Mense Novembri consuluisse edoctus sum: cūjus responsi verba post alia ita habent: Und ob man wol zu weisen durante inquisitione zur Suspension schreitet / Dieweil aber dieselbe eine species Executionis, und man darzu/ außer dem Nohtfall/ und wo ein crimen enorme, atrox, und deshalb besorgendes SCANDALUM nicht vorhanden/ nicht gern schreitet/ Carpz. Iprud. Consil. Lib. III. def. CXV. Hier aber die Zeigen kein crimen enorme oder atrox wider den Pfarrer ausgesaget/ so hat auch noch zur Zeit die Suspension nicht Statt. Endlich auch den Fall gesetzt/ daß der Pfarrer N. N. hiernächst nichts Erhebliches an- und ausführen könnte/ So sind dennoch wider ihn die

Die Gradus admonitionis vorher zu gebrauchen/ und Ernsthlich zu ernahnen/ daß Er bey der Tauffe der Kinder/ und eaxmine derer/ so zum erstenmahl des Heiligen Abendmahls sich gebrauchen wöllen/ die Leute mit neuen Auflagen nicht beschwere/ keinen neuen Catechismum ohne der Obern Erlaubniß einföhre/ des Sonntags früh und nach Mittags den Gottes Dienst zu gesetzter Zeit ordentlich halte/ damit sich die Zuhörer gewiß darnach richten können/ und die Gemeinde nicht auf den Pfarrer warten dorffe. Mit seiner Besoldung sich begnügen lasse/ und dem Schuel-Bedienten seinen Besold/ den Er viel Jahr gehabt/ nicht zu entziehen trachte. Sich mit Geträck/ und sonderlich dem Brantewein/ nicht überlade/ noch in die Wirths Häuser sich setze/ und andere Leute/ besonders seine Zuhörer/ durch Sauffen und Zancken nicht ärgere. Mit dem Communicanten-Weine keine/ den Priestern unanständige Dinge vornehme/ Sich zu Hause finden lasse/ damit bey vorfallender Nocht kein Versäumniss im Amrite sich ereigene/ Auch sonst sein Leben also anstelle/ damit Er seinen Zuhörern mit einem guten Exempel begegne/ und sie nicht fernweit ärgere/ noch ihnen mehr Ursach über ihn sich zu beschweren gebe. Und da keine Besserung von Ihm zu hoffen seyn möchte/ würde so dann mit der Translocation/ oder auch gar mit der Remotion wider Ihn zu verfahren seyn/ W. N. W.

§. VII.

Observatum II.) est: Ob scandalum evitandum IN-
TERMITTI quid, alioquin faciendum utique, posse. c. 2. de
N. O. N. c. Quoniam. 3. de Jur. Patron. Sic poterat Milites,

Gladiores & similes ordinibus sacris ejicere Papa. Tamen, quia dudum receptorum memoria statu pristini expiraverat, scandalique esse desierat: quæ si nunc demum ejiciantur, ex obliuione resuscitaturus erat Pontifex, tolerat in præteritum, ac vetat solūm in futurum. c. 4. de Stat. Monach. Nam & iussionibus Principum impune non parebitur, cùm inde publica quædam infamia scandalumque exsurgeret. c. si quando s. de Rescript. Cùm generaliter receptum sit, Dispensationem Principis nullam esse, cum sine manifesto scandalio administrationisque decoloratione admitti non potest. Alciatus Lib. I. de V. S. n. 105. col. 779. ubi allegat 1. Q. 7. de illa: qualis tamen canon ibi non incipit. Imò, dicit Nevianus inter consilia Bruni, Consil. XI. n. 189. Non esse Pontifici Max. obediendum, quando ex obediencia metuendum esset scandalum: & plura egregie congesit Cravetta Consil. CCLXIV. n. 7. Consil. CCXCIV. n. 8. Consil. CCCIV. col. 4. vers. secundo respondeo. Ubi ex multis illud afferit: Juramenti vinculum esse dissolvendum, quando alias ex illius observantia futurum esset scandalum.

§. IIIX.

Et in universum: Propter scandalum discedimus à regulis communis Juris. Tiraquellus de jure primog. Qu. IV. n. 60. in fin. Exemplum est, Si Patronus negligat locum vacuum sarcire, Consistorium supplebit, propter evitandum scandalum. Carpz. Lib. I. def. XV. n. 13. Ampliatur, ut POENA coeteroquin merita MINUATUR delinquenti: Putà, cùm intervenit clamor aut tumulus popularis. Tiraqu. de Pœn. temper. Causa XLVI. n. 1. pertex. in l. 16. ff. ad L. Corn. de Sicar. Id quod Pilatus forsitan Matth. XXVII. 24. in suam excu-

excusationem allegaverit Imperatori. Atenim, attendere oportebat ad l. 12. §. 1. C. de Pœn. Vanæ voces Populi non sunt attendenda: Nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxiū criminī absolvī, aut innocentem condemnari desiderant. Id quod tamen in oppositione Barrhabæ ad Jesum postulabant voces Judæorum. Difficilimum esse respondere, fatetur Tiraquellus d. l. n. 4. Licit aliquid textum in d. l. 12. assumant de vocibus populi CITRA scandalum. Alii distinguunt, ut non audiendus sit Populus provocans innocentem ad supplicium: ut securus sit, si noxiū poscat liberari: quod præstet nim. vel decem dimittere noxiōs, quam unicum damnare innocentem. Rursus alii VOCES illas assumunt pro FAMA: Clamor enim Populi non æquiparatur Famæ; inquit Nævius in d. l. 12. C. de Pœn. n. 2. Brunnemannus ad d. l. 12. num. 3. putat Procedere, si fiat collegialiter & maturè à Populo. Sed, tum vix quadrabit ad casum de Clamoribus. Sua cuique salva esto sententia!

§. IX.

Distinguendum videtur inter Causæ cognitionem & exsecutionem: Pilatus animadversà Sacerdotum denuntiantium invidiā, fiduciam ponebat in applausu Populi, Salvatori usque èd exhibito: at is à Sacerdotibus deposita conditione testium, partes sumebat sibi Judicis, quorsum tamen haud erat evocatus. Mitteenda ergo concio potius, atque testes audiendi singuli, quam præcipitatō dicenda sententia. Utrum tamen pati Judex debeat turbari se clamoribus? alia quæstio est: ac præsuppono: Negotium omne rite tractatum esse, atque occupatum in exse-

exequenda sententia Judicem, audire voces clamantium :
 An moveri debeat seu hinc seu inde? Discernendæ
 voces dispersæ atque singulæ, à clamore copulato. Illas
 hactenus haud attendet, ut turbetur; cautus tamen ubi
 olficerit antè, Observatores emiserit, qui autores postea
 denuncient, tempore magis commodò coercendos.
 Hic, si non Tumultus ipse est, ejus tamen præfigium:
 & in civitatibus populosis neutiquam contemnendus.
 At, vel hunc potuit conjicere atque præsidio der Ge-
 riches-Folge / se præmunire.

CAP. III.

De
Scandalo Puniendo.

§. I.

Officium Magistratū circa scandala vindicanda, con-
 sistit in eo, ut tum illa ipsa è medio tollat, ne quis
 irretiatur; Exemplo Aëdilis, qui lectos in viæ positos, ubi
 invenit, confregit: tum in fabros corundem, insidiosos
 an ineptos, Autores inquam, seyerè animadvertat. Au-
 gusti Saxoniæ Electoris in removendo scandalo sollici-
 tudinem atque curam commendat Carpzov. *Libr. III. d.*
CXVII. num. 12. Cumque scandalum sit proprietas & af-
 fectio delicti cuiuslibet exaggerans: dum eo commo-
 ventur alii, seu ad imitandum, seu ad indignandum; &
 sic delictum extraordinarium; Certa sanè poena eidem
 definiri haud potest; Sed *Judex arbitrium ad Personarum*
atque Factorum discrimen; *Locorum Temporumve*
circum-

circumstantias noverit accommodare; Ne seu mollior debitò putetur, seu rigidus nimis: ac præprimis, ut non nisi per gradus adscendat ad extrema.

§. II.

In PERSONIS potissimum attenditur Sexus, Genus, Nobilis sit, an plebeius: Conditio item atque Status, Clericus an Laicus. Circa FACTA autem, Levitas ac Atrocity, quæ inde quoque aestimatur, si quis turbaverit sacra, si abusus sit dictis scripturæ, aut blasphemus extiterit in Deum. PLEBEIOS ac paganos quod attinet, facilius equidem videbatur Inveniri posse pœnam. Usitata ceteroquin in Communitatibus paganis Multa cerevisaria: quando tamen ex præcepto Prætoris tandem exercuerant, Aluf des Schuel-Berwalthers Gebeth die Gemeinde ein Vierthal Bier auff Sie getrunken: Istud monuisse Consistorium Electorale annotat Carpzovius *Libr. III. d. XCVI. num. 12.* Posthac in Piam Causam concipiendas, Zu milden Sachen angewendet werden. Crescente scandalò, crescit animadversio. Quando itaque in simili controversia Sediuum Templi, à verbis ad verbora ventum in ipsa æde sacra fuerat, ad Numellas damnari jubebat Consistorium, Id. ib. d. CIIIIC. num. 16.

§. III.

Circa CLERICOS altioris putatur questionis esse: Utrum & in Ministros Ecclesiæ, si scandalo sint auditorio, animadvertendum sit? cum propter Officium ipsorum, quod ab omni suspicione sinistra eos liberat,

D

perinde

perinde ac Patrem aut Praeceptorem, si in liberos aut discipulos verbis invehanter asperioribus. Carpz. Lib. III. def. C. num. 6. Tum, si vel maximè excesserint, sacro minimum parcendum sit eorundem statui: qui semel expositi ludibrio, parum post hac venerationis & obsequii expectandum sint habituri. Unde postmodum, ruentibus omnibus in deterius, vel Magistratus politicus eventum nihilò meliorem habeat metuendum: cuius quodammodo Mediatores existant Sacerdotes; dum animos civium per sacras conciones præparent, & in officio contineant, ad præcepta Superiorum promptius audienda exequendave. conf. Carpz. d. tr. Lib. I. d. LXVII. junct. Lib. III. d. CL.

§. IV.

Ex quo tamen istud certum est: Delicta haud res inqui debere impunita; atque imò gravius in eo vindicanda, unde scandalum proficiscitur majus; idque citra omnem personarum respectum seu Prosopolepsiam: Veluti quoque catenus neque Principem neque Ipsum met Papam impunem fore, audivimus *suprà*: dum scandalum utique est majus, quod exposuit ille, à quo exspectabatur minus. Et verò, inficias ibit nemo, Delinquentibus Sacerdotibus, scandalorum oriri majora, unde jaetura insignis in Ecclesia metuenda, meritò removenda. Carpzov. d. I. num. 11. Ecquis verò parcet ei, qui ipse haud pepercit, sibi? Videbantur imò grayius tantò coercendi, quantò exemplò sunt pejori, qui positi in conspectu omnium, lœdunt tantò plures. Notissimum siquidem est, Clericos affectibus suis indulgere magis quam Laicos

Laicos, accedente occasione commodiori, qua publice pro
sugestu quem possunt prostituiere, mit Holzhippen/
poldern oder schmähen. Carpzov, *Libr. III. d. IC. n. 12.*
sqq. junct. Lib. I. d. LXVI.

§. V.

Hoc tamen datur illis, ut non poenæ modò, sed
imo præcedaneæ quoque actiones sint convenientes, ut
Facto, sic & Statui eorundem; ac præprimis per gradus
ab inferioribus demum adscendatur ad graviores: prout
prudentissimè supremum Electorale monuit Consisto-
rium, quando ad consultationem certi Senatus oppida-
ni adversus suum Superintendentem inter coetera re-
spondit: Wider welchen ohne vorgehende gütliche
Verhörl ob reverentiam ipsi debitam, nicht alsobald In-
jurien-Proces, sonderlich ad publicam recantationem,
zu verstatten. Carpz. *Lib. III. d. IC. n. 22. med.*

Poenarum autem Gradus primus est INCREPATIO
privata, citra tamen Irrisionem aut sarcasnum. Nota-
quippe publica illa per Praeconem fieri solita SUPERIN-
DICTIO: ισχνοφαντος! *I. 16. C. ex quib. caus. infam.*
πρωτελογιον ουρω! *I. 13. §. f. ff. de Jurej.* ubi utrobique
Gotofredus. add. Alciatus *Lib. II. Dispunct. cap. XXVI.*
col. 171. & *Libr. IV. Cap. II. col. 196.* nec nisi increpatio
nuncupativa, tamen seria, vid. Carpzov. *Libr. III. d. CV.*
num. 17. ibi: seine gebrauchte Unbescheidenheit noch-
mahlen in Ernst verwiesen. & d. *CVI. n. 14. fin.* ernste
Verweisung gethan, & fin. adhibenda.

Proceditur abinde ad CARCEREM: Nomine tamen & Locò ab illa Laicorum Custodia distinctum, Priesterlichen Gehorsam dicunt. vid. Carpzov. *Libr. II. d. CXIII. per tot.* Numerò tamen aut Integritate di-
rūm exasperandum. LOCUS eatenus variat, dum alibi statio certa in Templo; alibi distinctum ad hoc ser-
tur conclave. NUMERUS dierum pro gravitate delicti
ad quartum usque decimum extenditur: INTEGRI-
TATEM intelligo, Continuus ut sit, nocturnus simul
ac diurnus: qualis quatriduanus Diaconó cuidam, ob id
quod publicè in Templo Sacra menta execratus fuerat,
die Sacra menta geslucht / dictata legitur apud Carpz.
Lib. III. def. CXIII. num. 15.

§. VII.

Proximus abhinc gradus est TRANSLOCA-
TIO: non certè facile assumenda: prout petitæ locum
haud datum fuisse, ex Carpzovio *dict. Libr. III. d. CIII.*
num. 15. med. observare licet: quippe sat gravis, quando
(ut solet plerumque) relictò Beneficiò opimè ad sterile,
eine Poenitenz-Pfarrē commigrare, seu Sacerdos, Carpz.
ib. def. CXIX. seu Custos, *Id. ib. def. CXXIV.* compelli-
tur. Si tamen poscat Ecclesiæ utilitas, si malis moribus
dent scandala, cuius eventus evitandi causâ multa per-
mittuntur, alioquin prohibita: utique tandem istuc
procedi potest. Hoc enim modò delentur scandala,
certè haud parum minuuntur, cùm ex oculis tolluntur.
v. Carpz. dict. Lib. III. d. CV. n. 7. d. CIX. per tot. nomi-
natum n. 15. post med. & d. CXIX. n. 8. sq.

§. IIX.

Sequitur SUSPENSIO ab Officio, exercenda adver-
sus eos, qui confessi equidem vel convicti nondum sunt;
Indiciis tamen gravati: Saltem in hunc finem, ne ex ad-
ministratione officii sacri, pendente inquisitionis processu,
scandalum detur in Ecclesia, quod magnò studiò remo-
vendum. *c. 10. de Renunc.* Carpzov. *d. Libr. III. d. CXV.*
n. 8. & 19. Grave quidem quid est, ac speciem execu-
tionis habere videtur, assumiturque saltem in criminis a-
trocioris inculpatos, Carpzov. *def. CXV.* Unde Idem *d.*
CXIV. n. 1. & 2. in poenis numerat, & carcere graviorem
dicit. *n. 3.* à Remotione tamen differt, *Id. Ib. def. sq. n. 2.*
dum 1) ad certum saltem fit tempus, *Id. def. CXIV.* 2)
exercitium saltem, & actum secundum impedit; Jus i-
psum interim quiescit saltem, evitandi scandali ergo, cum
spe resuscitandi. *Id. Ib. d. CXVII.* Estque 3) aliquando
etiam spontanea, *Id. Ib. d. CIX.* fitque 4) in proprium
suspensi bonum. *Id. d. CIX. n. 19. post med.*

Gravior adhuc expectat Clericos poena DEPOSITIO;
gravius utique presupponens meritum, nec nisi ob atrox
& enorme delictum, ärgerliches / unchristliches Leben/
Carpz. *d. CIX. n. 20.* irroganda. Si enim criminis atro-
cioris inculpati, nondum etiam convicti aut confessi, sus-
pendi ab officio possunt, *Id. d. CXV.* nil supereft quam
ut convicti aut confessi removeantur. Quanquam nec
præcipitatò, aut sine accurata cause cognitione isthuc
properandum. *Id. ib. d. CXL. per tot.* nec nisi gradibus
admonitionis observatis ea decernenda. *Id. Ib. d. CXII. n. 13.*
d. CXX. n. 12. & def. CXXI. per tot. Nec etiam à Magistratu
poli-

politico, aut Collatore & Patrono arroganda. Id. d. CX.
per tot. Pastores enim & personæ ecclesiastice, ut à pot-
estate seculari omnino exempti non sunt, ita in causis per-
sonalibus coram Consistorio debent conveniri. Id. def. III.
per tot. item d. IIX. n. 7. & d. CX. n. 13. Duplex tamen
à Canonistis constituitur Depositio; una solum verbalis,
illa, quam modò terigimus; altera realis, nominatim DE-
GRADATIO, actualis Graduum & Ordinum privatio, &
Magistrati seculari facta traditio. Cujus causa meritioria
& modus procedendi describuntur c. 27. d. V. S. c. 2. de Poen.
in VI. Utriusque discrimerat Carpz. d. Lib. III. d. CIX.
n. 15. 1) quod per Depositionem specialiter sic dictam,
nempe verbalem, Clericus removetur saltem ab honoris-
bus & dignitate Cléricali, salvò tamen manente privilegio
& ordine; sed in Degradatione omnia amittat. 2) Depo-
situs manet sub Jurisdictione & potestate Judicis ecclæ-
siastici; sed Degradatio privilegiis & immunitatibus o-
mnibus spoliatur.

§. X.

SCOPUS & Intentio Magistratū, seu crima ipsa,
seu exortentia inde scandala vindicantis, alias est commu-
nis: Criminum vindicatio, delinquentium emendatio,
Læsorum indemnitas & satisfactio: Alius peculiaris, Scan-
dalorum sublatio, Aliorum similia ausuorum absterritio,
quidern zum Abschell. Carpz. dict. Lib. III. d. VC. n. 21. fin.
zu Verhütung künftiger Nachfolge. Id. Lib. II. d. CXLI. I.
num. 25. daß sich andere daran spiegeln. Id. Libr. II.
d. CXII. n. 14. Statuitur hoc poena exemplum, ut metu
similis animadversionis alii vereantur similia patrare, zu
einem allgemeinen Exempel/ def. CXIII. n. 14. § 16. atque
ita

ita sublati scandalis, comineantum evenit securitas: qua juxta cum sufficientia Civili, finis est quem intendit *Aedilis*, atque expectat civitas.

§. XI.

Sed quod delabor, considerando hanc Personarum conditionem Clericalem? Brevius videbo nunc illam, quā Nobiles sunt aut Plebeji. Cumque certum sit, illos non minus quam hos preceptis divinis ac humanis constringi, sedque transgressu scandalum præbere aliis, tanto majus, quanto majori præminuerint dignitate, & eorum exemplō facilius alii poterunt ad similia provocare, ut loquitur Urbanus III. in cap. 12. de jurej. Sequitur eosdem Scandalorum quoque vindicationi obnoxios esse, ac DE PRECATIONI ecclesiasticae haud exemtos. Carpzov. d. lib. III. d. XCIII. per tot. De Carcerē temporatio idem dixero. Quando tamen Nobilis quispiam vitam agebat dissolutam, ac non domesticis modō, ipsoque adeo uxori, verū exteriis etiam injuriis erat, menens omnibus! nec spes emendationis supererat, quando jam quinquagenarius induerat: de CARCERE PERPETUO cogitari ceptum, vel Ergasterio publico: An alterutri mancipandus? In contrarium planè allegabatur: Carcerem jure Rōmanō non in poenam, verū ad Custodiā saltem ordinatum fuisse. l. 8. S. 9. ff. de Pœn. Ac licet in locum poenæ capitalis aliquando carcer perpetuus fuerit assumptus v. Alex. ab Alex. genial. dier. lib. III. c. V. abinde tamen rursus discessum. Sanè, posterioribus temporibus carceres generibus poenarum accenseri ceperunt. P. H. O. art. CLVII. cum primis jure Saxonico. part. IV. Elect. Conf. I. IV. seq. Geil.

DEO MINDO TUA ET GLORIA

32

de Pace publ. Lib. I. Cap. I. n. 33. Videtur tamen occasio ne
potissimum Juris Canonici invaluisse, ubi mentio Car-
ceris perpetui fit mentio. c. 27. in f. de V. S. c. 3. de Pœn.
in VI. dum judicia sanguinis agere prohibentur. c. 5. Ne
Cler. secul. neg. aut sententiam sanguinis proferre. c. 9.
ibid. longè minus pœnam sanguinis infligere. cap. 4. de
Raptor.

S. XII.

Sed hæc, quantum ad genus pœnae : Quantum ad
Conditionem personæ attinet, non hoc solum urgebatur:
Non commeruisse eum pœnam mortis, cui carcer perpe-
tuus respondeat : Nobilem autem obligare ad ergaste-
rium publicum, & dignitati persona derogare, & fami-
liae toti maculam inure. Accedat, quod quinquagenariõ
jam major, quotidie magis evadat inidoneus patrare quæ
metuantur malè. Enimvero, neque Carcer natura suā
inquinat famam, c. 8. de Pœn., neque Nobilitas à pœnis in-
famantibus, (si non delicta ipsa tale quid merentibus attrah-
unt notam) quem liberare potest: &, quod eatenus pa-
titur unus de familia, coeteri ad se attinere, neutiquam pu-
tanto ! Et, quare plus à pœna denum, quam à præcedenti-
bus delictis, partis sumunt sibi? Scandala sunt præstò ! ne-
que superest, quo securos præstet, quos posuit in metu. Æ-
tas certè tanta non est, ut nec audere is, nec metuere pos-
sint reliqui: &, si successivè expectatis minus idoneum,
cautionem præstabitis de factis medii temporis! Quare non
ita dudum est, quando Inclutum hujus Academiæ JCtorum
Collegium, Nobilem in tanto reatu constitutum, carceri,
certè ad tempus indefinitum addici posse, respondisse
edoctus sum. Sed filum abrumpo.

DEO SUNTO LAUS ET GLORIA!


Jena, Diss., 1702

VD -18

f



56.



DISSE

S C A

RECTORE

FI

SERENISSIMA

WILHELM

SAX. JUL. CL

ADRIA

PANDECTAR. PE
ET SC

PRO

Supremos in J
ad diem 30. Decembris

HIERO

Gul

LIT

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

